



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

2. Hic Positis Castris Nomen Habere Dedit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

quingentis. Justus Lipsius ad lib. 2. Annal. Taciti, n. 23. Sidonius Apollinaris *Viserin*, ad morem & idioma gentis nostræ, cui *Weser* dicitur, pro *Visurgi* extulit.

*Bruëterus ulvosa quem Viseris alluit unda.*

Astronomo. Adelmo. Poëtæ Anonym. ad An. 797. & Adamo Bremensi in hist. Ecclesiastica. *Wvisura*. Auctori vitæ Caroli M. apud Pithæum. *Wvisora*. Regioni. *Wvisara*. Scriptori vitæ S. Adalardi apud Bollandum. *Wvisra*. Wandeberto in hist. S. Bonifacij, *Wvisaraha* appellatur. Nonnulli viri docti, in carmine Ovidij, sive Albinovani, ad Liviam Augustam, *Iturgim* pro *Visurgi* accipiunt. Quod Cluverius improbat, & *Ilargum*, qui amnis est Vindelicæ, legendum ostendit. In Vindelica, & Norico, cap. 6. pag. 747.

2. HIC POSITIS CASTRIS NOMEN HABERE DEDIT. Ita Astronom. apud Reuber. ad An. 797.

*Consilium inijt, ut ad conficiendum Saxonicum bellum in ipsa regione hyemaret. Sumpto igitur comitatu suo, Saxoniam petijt, castrisque super Wvisuram positus consedit, & locum castrorum Heristelli vocari jussit. Eadem fermè habet Vita Caroli M. apud Pithæum. Et Novembrio mense mediante ad hibernandum cum exercitu Saxoniam intravit, positisque castris apud Wvisoram fluvium locum castrorum Heristelli vocari jussit. Adelmus ad An. 797. Sumpto igitur comitatu suo, Saxoniam petijt, castrisque super Wvisuram positus consedit. Et locum castrorum Heristallum vocari jussit: Qui locus ab incolis usque in presentia nominatur. Poët. Anonym.*

*Wvisura positus in littore castris  
Sedit, Heristellique locum jussit vocitari,  
Hactenus hoc & habet nomen.*

Item



Item Gobelius Persona. in Cosmodr. Ætat. 6. cap. 38. Cranzius Metrop. lib. 1. cap. 12. Georgij Fabricij Origin. Saxon. lib. 4. hæc sunt verba; *in eo loco, qui à stabulis Principum Herenstelle appellatus fuit.* Henricus de Hervordia nominat *Erestal*, alibi tamen *Herestelle*. Contra Henricus Meibomius non tam à castris eo loco positus, quàm à palatio Francico in dicecesi Leodiensi, cui situ loci & amœnitate simile fuerit, denominatum *Heristallum* putat. Palatij illius meminit auctor vitæ Caroli M. ubi villam vocat: meminit auctor vitæ Ludovici Pij, & Regino, alijque. Reinerus verò Reineccius in notis ad Poët. Anonym. *Heristallum Francicum* cum *Saxonico* malè confundit.

3. LEGATOS HIEMANS HIC REGIA DONA FERENTES. Annal. Francici incerti auctoris apud Pithæum. An. 798. *Carlus cum exercitu hiemavit in Heristallio Saxonico. Hadofuns rex Gallitiae & Hasturia, per Floram legatum suum, papilionem miræ pulchritudinis regi transmisit.* Vita Caroli M. apud Pithæum. *Venit autem ad eum legatus Adelfonsi regis Gallitiae & Asturie nomine Froja, presentans papilionem miræ pulchritudinis.* Adelm. Poëta Anonym. Regino.

4. AVDIIT. ET NATOS IVSSIT ADESSE SVOS. Astronom. apud Reuber. *Exercitum verò quem secum adduxit, per totam Saxoriam in hiberna divisit. Illuc Pipinum de Italica, & Ludovicum de Hispanica expeditione regressos ad se venire iussit: Ibi legatos Hunorum cum magnis muneribus ad se missos audivit, & absolvit. Ibi legatum Adelfonsi regis Asturicæ atque Galeticæ, sibi dona deferentem suscepit. Inde Pipinum ad Italiam, Ludovicum ad Aquitaniam remisit: cum quo & Abdellam Saracenum ire iussit, &c.* Rex autem in Saxo-

Q 2

nia